DISQUISITIONES DE SINGULTU IDIOPATHICO ... FECIT HYACYNTHUS...

Giacinto Namias

DISQUISITIONES

DE

SINGULTU IDIOPATHICO

QUAS

UT MEDICINÆ LAUREAM IN VETUSTISSIMA
AC CELEBERRIMA PATAVINA UNIVERSITATE
RITE ASSEQUERETUR PUBLICI JURIS FECIT

HYACYNTHUS NAMIAS

EX VENETIIS



PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1834

74

DILECTISSIMIS AMICIS

SODALIBUSQUE PRAESTANTISSIMIS

PETRO DALLA BALLA

AC

ALOYSIO ZERLOTTO

HYACYNTHUS NAMIAS

Tenuissimum hoc opus minus etiam valet, quam debiles vires meae concessissent. Ut laureae munus religiose perficerem solum conscripsi, atque temporis arctissimi limites, quominus ad id redigendum necessariam solertiam ac diuturnum conferrem studium, impedimento fuere. Itaque quodcunque aliud ex meo penu depromptum potius quam hoc edi nomine vestro debuisset, nisi meae promotionis die solemniter amicitiam nostram memorare voluissem. Primum vitae nostrae

iter simul juncti percurrimus; communia nobis fuere desideria, cogitationes et studia, neque sine vestro auspicio summos laureae honores laeto animo adeptus essem. Caeterum in exiguo hoc meae diligentiae specimine nonnulla saltem facta vobis offero, et vos, quorum ingenia non fictiones et systemata, sed experimenta observationesqae persequuntur, plurimis hujusce opusculi vitiis veniam, spero, non denegabitis.

Quamvis omnium generatim morborum notitia adhuc multis in ambagibus versetur, doctrina tamen systematis vascularis laesionum per scientiarum et potissimum pathologicae anatomiae progressus summopere excrevit, dum quoad systema nervosum priscos medicinae instauratores vix fere superavimus. Morbi revera systematis vegetantis saepe post aegrotantium mortem omnium, quae observata fuere, symptomatum causam ostendunt, curriculum nonnullos inter limites praefixum saltem percurrunt, et phasibus non ita variis produntur, ut medicis plurima eorum phaenomena praecognoscere impossibile sit. Ipsis medicae artis cultoribus plerumque perspectum est si ab uno in aliud organon procedunt, et cum ad laetum vergant finem non id improviso fit, sed materiae organicae perturbata formatio paullatim recomponitur, et idoneo temporis spatio, quo vitiatae substan-

tiae elimineutur novaeque et bonae textibus applicentur, eorum restitutio ad sanitatem indigere videtur. At in systematis nervosi idiopathicis morbis quoties nullam lucem afferunt necroscopiae! Quae phaenomenorum irregularitas, quae intermissiones, quae exasperationes! Nonne pluries illico resolvuntur dum aegrotantibus vitam adimere, aut longos minitari cruciatus videbantur? Sicuti physiologicae hujusce systematis actiones non intra sensibile temporis spatium perficiuntur, ita perturbatae stadia, quae natura in eisdem aberrationibus constans sequitur, spernere solent. Hinc cum generales leges statui nequeant, peculiaria facta magis conspicua describere oportet, ut non modo similibus in circumstantiis practicos dirigant, sed etiam germina effundant, ex quibus, progrediente hominum sapientia, principia generalia posteri nostri jacere queant. Inter morbos nervosos singulus profecto idiopathicus, tum propter phaenomena maxime singularia quae ab eo non disjunguntur, tum propter abnormem cursum remediisque magis idoneis pervicacem obluctationem, stu-

dium medicorumque attentionem postulat. Ergo perpendere quae pauca de hoc morbo agnoscuntur, et felicis curae sororis meae hujusmodi malo vexatae historiam addere non absurdum fortasse consilium judicabitur.

Si quibus vigebat inter initia ars salutaris tubi gastro-enterici laesionem tamquam proximam singultus causam existimare licebat, incredibile profecto videtur recentiorum nonnullos post tot medicinae progressus non adhuc a propriis scriptis hujusmodi errorem depulisse. Cum ex aeris in laringem impulsu saepe morbosi sonitus producantur, singultus vero inspirationis expirationisque momentis respondeat, et nunquam eveniat absque perturbata horum motuum functione, ullum ne dubium alicui esse potest cujus actionibus organi tribuatur? Incipit singultus a magna inspiratione quam diaphragma excitare conspicuus, uti recte animadvertit Hallerus (1), abdominis tumor confirmat. Sola tamen valida ac subita inspiratio huic phae-

(1) *Elementa Physiologiae* Lausannae 1766 Tom. III. pag. 311.

nomeno explicando non sufficit, coique enim sine strepitu subito et enixe inspirare datum est. Glottidem igitur eo temporis momento contrahi, ideoque aerem atmosphaerae magna vi absorptum et repulsum illius cavi elasticos succutiendo parietes hujusmodi sonitum efformare videtur. At si pluries ex quacunque tubi intestinalis irritatione singultus excitatur, et interdum etiam supervenit cum per oesophagum alimentorum descensus implicatur, num ex hoc in tubo intestinali singultus causam proximam requirendam censebimus? Pituitariae irritatio membranae sternutationem, uvolae titillatio vomitum movet; sed nemo propterea hunc uvolae aut eam schneiderianae mechanismo ascribere vellet. Ingeniosa experimenta industrii Brachet (1) quomodo et quantum nervus vagus tum in digestione cum in respiratione influat, evicere, et probabiliter ope potissimum hujusce nervi inter tubum intestinalem atque organa respirationi inservientia ea su-

(1) *Recherches expérimentales sur les fonctions du systême nerveux ganglionaire.*

stinetur sympathia, qua irritatione tubi gastro-enterici laborantes saepe singultibus affliguntur. At non morbo hujusce unius organi singultus cietur; et medullae spinalia irritationi, teste Bruning [1], aliorumve organorum [2] laesionibus pluries tribuendus fuit. Tamen vero omnibus in hisce casibus morbum, uti dicunt, essentialem non efformat, laesionum enim tubi intestinalis aut hepatis aut aegrotantis cujuscunque organi symptoma est, ejusque descriptio ad singularem eorundem morborum historiam spectat. Mihi de singultu pertractare in animo est, qui, cum ab omni alia pathologica conditione sejunctus sit, existimandus revera idiopathicus, atque solummodo generatus a peculiari perturbationis ratione nervorum ad organa respirationis pertinentium. Ejusmodi historiae morbi parum luminis attulit pathologica anatomia, perraro enim illius effectus tantum efficientiae habent in animalem oeconomiam, ut vitam extinguere valeant. Unum

(1) Haller, Op cit. Tom III pag 310.

(2) Boneti, *Sepulchretum sive Anatomia practica etc* Lugduni 1700. Tom II pag 39-44.

exemplum novi a Gallico viro Bobe-Moreau (1) jam prolatum, in quo singultus laesae deglutitioni adjungebatur, ac subinde lethalis evasit, sed in cadaveris disectione integra omnia viscera reperta sunt. Probabiliter in singultu mere nervoso, ut in caeteris idiopathicis nevrosibus, subtilior, quam cultrum anatomicum penetrare queat, morbosa conditio inquisitiones nostras effugiet.

Typus hujusce singultus nunc continuus, nunc intermittens est. Josephus Frank (2) diligentem exposuit historiam virginis 17 annorum, quam diu noctuque per octo circiter menses vehemens singultus excruciavit. Cum vero intermittens sit, saepe irregularibus proditur accessionibus. Interdum nocturno dumtaxat invadit tempore, ut in virgine de qua loquitur Hoffmannus (3), quaeque, si ab accedentibus excitabatur et corpus ipsius

(1) *Dictionnaire des Sciences medicales*. Paris 1817 Tom. XXI. pag. 550

(2) *Ratio Instituti Clinici Ticinensis*. Venetiis 1799. Pars II. pag. 143.

(3) *Medicinae systematicae* Venetus 1736 Tom. IV. Pars III pag. 204.

in lecto loco movebatur, cessabat singultus, neque unquam per diem incidit, quamvis saepius epulis aegra nimium indulserit. Nonnulli contra vexantur solummodo cum vigiles sunt, uti in vetula de qua Thomae (1) Bartolino scripsit Georgius Segerus Thoronensis. Haec, quam ejus pagi incolae obsessam judicabant, a biennio semper et acriter singultiebat, sed noctu inter dormiendum ex toto sedabatur. Animadvertit praeterea Segerus hunc singultum inter loquendum intermittere, dein velociorem redire aeque ac si quod intermissum fuerat, esset resarciendum. Invisere in praesens soleo puellam quatuordecim circiter annos natam, quae singultu hanc ipsam rationem sequente a quatuor integris mensibus misere laborat. Exempla tandem singultus periodici (2) non deficiunt, et Bonetus (3) in Sepulchreto de virgine loquitur, quae fere quotannis eo-

(1) Thomae Bartolini Centuria III Epist. LXI *De muliere singultiente* Hagae Comitum 1740.

(2) *Dict. des sciences médicales.* Tom. cit pag. 548.

(3) Tom II pag 42.

dem plerumque tempore a pertinaci singultu non, nisi in somno, per circiter quatuordecim dies libera erat. Ex hisce factis plurimisque aliis ab auctoribus collectis arguere licet, quam incertis temporis finibus hujusmodi morbus circumscribatur. Sit satis dicere usque annos vigintiquatuor (1) perstitisse.

Concussio quam abnormis hic motus gignit in epigastrio ac in hypochondriis lassitudinis oppressionisque sensum persaepe affert; interdum vero vomitum excitat, uti in casu enarrato a medico Dominico Gola (2) singultus a tresdecim mensibus perdurantis, qui toties inter alios accessus movebatur vehementissimus, quoties alimenta in ventriculum ingrediebantur, ac plerumque eorum vomitionem ciebat. Caetera vero abnormia phaenomena in historiis hujusce morbi notata non jam illius effectus meo judicio sunt aestimanda, sed conditioni depravatae sen-

(1) *Josephi Frank Praxeos medicae universae praecepta.* Taurini 1825. Pars II Vol VIII pag. 33.

(2) *Annali Universali di Medicina.* Vol. XXVIII pagina 159.

silitatis ipsum singultum sustinentis ac per totum systema nervosum diffusae profecto referenda. Hic historiae Josephi Frank[1] recenseri meretur laevi dolor pectoris inter quintam et sextam ex veris costis, nec non cephalea abdominisque dolores, qui aegrotam interdum vexarunt. Puella singultiens quam nunc observo, et de qua superius locutus sum, dolorem novissimis hisce diebus in eadem pectoris regione accusat, qui topicis sedantibus non adhuc mitigatus est. Singultus in ista puella per primos menses sine altero symptomate duravit, sed decem abhinc diebus continui omnium artuum tremores illam aggressi sunt, qui dumtaxat in somno cessante singultu cessant, et cum illo simul ac aegra expergiscitur, iterum concitantur. Quibus omnibus nuper praedictus dolor pectoris eamdem rationem ac caetera phaenomena persequens adjunctus fuit. Nunquam vero alias obtinuit, ut hujusmodi morbus magis insolentes ac miros effectus per-

(1) Vol. cit. *Rat. Instituti Clinici etc.*

apiciendos exhiberet, quam in eo casu, de quo memorat Hellis (1) medicus nosocomii Rothomagi. In hoc aurae sensus a dorso in epigastrium extendebatur et singultus apparebat, qui, dum aura totum corpus pervadebat, obdurabat, hac vero ad dorsum redeunte cessare solebat. At si, ubi haec aura ad manum aliumve articulum pervenerat, aeger eum articulum flectebat illico singultus suspendebatur, et durante flexione silebat. Cessata vero flexione, illico renascebatur. Singularia porro omnia illius historiae phaenomena hic referre supervacaneum foret, deque iis hoc tantum dicam magnopere distare longeque recedere ab illis, quae in animali oeconomia agnoscuntur.

Causae omnes, quae sunt innumerae, systema nervosum perturbantes idiopathicum parere singultum observatae fuere; at mirandum profecto est absque ulla manifesta potentiarum nocentium actione hunc morbum interdum oriri et pervicacem durare. Ita evenit jam supra memoratae puellae,

(1) *Annali Universali* cit. Vol XLIV pag. 584

quam adhuc video medicorum attentione studiisque dignissimam. Inter alias causas imitationis vim, cujus tanta est efficacia ut etiam epilepsiam progignere possit, dumtaxat recordabor: nimirum licet exemplum (1) proferre quatuor puellarum in nosocomio apud singultientem decumbentium, quae singulae post tertium diem singultire caeperunt. Non ego quomodo ad singultum pariendum hujusmodi causae in fibram nervosam agant patefacere enitar, intima cum exteriorum agentium cum corpore humano relatio densa caligine adhuc obducitur, neque si nova hypothetica, post tot erecta et diruta, aedificia couderem, melius ex illis renitentis mysteria naturae perspicerentur, quam solis observationibus ac experimentis debellare datum est.

In tanta causarum ambiguitate et symptomatum inconstantia quam dubia sit methodus curationis neminem latebit. Deficit in singultu pariter ac plurimis nervorum in mor-

(1) Sauvages, *Nosologia methodica* Venetiis 1764, pagina 394.

bis constans inter causas symptomata remediaque nexus, qui, ut perspicacissimus noster Bufalini docuit, medicinam quidem efficacem constituit. Si causa forte noscitur illam cito amovere, quoties hoc concedatur, praecipua est indicatio; sed si, quod crebro contingit, vel ignoratur, vel causa ipsa remota morbus incrudescit, ad quae pharmaca confugiendum? Arti salutari ea praesto sunt medicamina, quae nervorum quoque morbos expugnant, sed ex eorum multitudine cui potissimum in singulo morbo fidendum non definitur, nimiaque divitiarum copia scientia opprimitur. Haud probabile est omnia pharmaca, quae sub antispasmodicorum nomine veniunt, eadem facultate variisve ejusdem facultatis gradibus pollere, neque multiplices nervorum idiopathicos morbos, qui absque nota causa vel hac sublata perdurant, unam atque eamdem habere naturam judico. Igitur in iis praesertim *a juvantibus et laedentibus* criterium sumere oportet, quo caute omnia hujusmodi medicamina explorentur, donec reperiatur quod aut valetudinem afferat, aut saltem angustiis modum imponat.

Ita etiam agendum arbitror in singultu, nisi tamen forte periodicus sit. Namque si periodicus accessifugis facillime discutitur, ut in casibus a scientiarum medicarum lexico (1) relatis. Memoratu dignissima est historia, quam Jaurieu (2) edidit de singultu periodico post menstruorum suppressionem. Priusquam amenorrhaea tolleretur, cortex peruvianus adhibitus est, sed frustra, cursu vero catameniorum restituto illius usus singultum radicitus evulsit. An non equidem, si qua analoga facta colligerentur, neutiquam specificis causis in fibram agentibus destruendis, sed ipsius fibrae laesiones a potentiis nocentibus relictas discutiendo morbos periodicae formae dissipare remedia accessifuga ostenderentur? Sed singultus periodici frequentes casus non sunt, ac in pluribus post causarum amotionem, vel ignota ejus causa, diuturnus perdurat. Tunc revellentia atque antispasmodica experienda,

(1) Vol. cit. pag. 548.
(2) Id. vol. *ejusdem lexic.* pag. 553.

ut quod aliquo saltem temporis spatio morbosum motum coerceat tandem detegatur. Cum hoc vero acciderit, in eo pharmaco insistendum, quoniam idiopathicus singultus, ut caeteri nervorum morbi, saepe a consuetudine retinetur, et si quod remedium ad coercendos nonnullos illius accessus valuerit, interdum morbosum phaenomenon non amplius apparet, atque radicitus curatum fuit. Hujusmodi therapiae, historia singultus sororis meae, quam nunc referam, exemplum sane luculentum exhibebit.

Soror mea annos undecim nata, temperamento lymphatico-sanguineo praedita, summoque sensilitatis imperio, plurimos morbos prima aetate subiit. Iterum ac tertio angina stridula in vitae periculum venit, diatesique strumosa incipiente diu laboravit. Opportuna remedia integram illi sanitatem reddidere, verumtamen in atmosphaerae vicissitudinibus affectiones ex rheumatismo saepe passa est. Noctu interdum doloribus in genuum articulatione afficiebatur, qui pariter rheumatici aestimati fuere, et sponte cedebant. Vere praeterito post saburram gastri-

eam nonnullorumque purgantium usum crebris ructibus, quos singultus sequebatur, cruciari caepit. Singultus vero saepissime absque ructibus perseverabat usque dum accessio resolvebatur. Vespertino praesertim laborabat tempore, horaque circiter nona ructus singultusque incipiebant, qui nunquam, nisi duobus tribusve horis praeterlapsis, cum aegra somno tandem sopita erat, intermittebant. Interdum frequenter, ac potissimum mane, illis corripiebatur, sed neque vehementes erant, neque multum insistebant. Sub ructibus singultibusque aliquid acidi in os ascendere aegra testabatur, imo nunquam sapor acidus eam deserebat. Pulsus et somnus a conditione normali non recedebant, linguaque vix albida, venter mollis, neque ad pressionem dolens, consueta alimentorum appetentia, bonus aegrotantis aspectus, ob tubi gastro-enterici phlogosim vel superstitem saburram singultum non persistere demonstrarunt. Caetera omnia organa sana apparebant, quare singultus idiopathicus existimatus fuit, eoque magis, quo morbi typus ejusque circumstantiae (intermissio potissi-

mum singultus si quid aegra intento animo perpendebat, promptaque accessus apparitio occasione fortis odoris ex. gr. *di pipa*) ad systematis nervosi laesiones evidentissime pertinebant. Nervorum innata mobilitas huic morbo aegram praeparavisse, saburraeque gastricae catarthicorumque perturbatio ad illius productionem egisse videbantur. Praestaotissimus ideo et doctissimus magister meus Doctor Trois, qui benigne hujusmodi curam suscepit, parvas magnesiae purae doses cum bismuthi magisterio praescripsit. Hoc valido antispasmodico morbum praecipuum moderare, magoesia vero saburras, si quae adhuc remanerent, blande dissipare, ventriculique acidos, qui saepe singultuosae nervorum dispositioni occasionem praebuissent, suffiaminare conabatur. Cum per multos dies in illis prosequeretur, sapor acidus ructusque evanuere; sed singultus minime mitigatur, imo illius accessus freqoentiores ac acerrimi facti sunt. Frustra morphina ipsumque opium, frustra aqua cohobata lauro-cerasi, frustra assae foetidae clysmata adhibentur; morbus pervicacissimus proseque-

batur, jamque aegrae constitutionem labefaciebat. Altera hebdomada fuerat praetergressa ex quo affligebatur, cum noctu ad temperandum violentissimum longissimumque accessum rubefacere epigastrii et hypochondriorum cutem deliberavimus. Sinapis emplastra eliguntur, et (mirabile dictu) vix aegra aliquam sensationem ex sinapismo perceperat, neque adhuc cutis rubescebat, et tamen singultus omnino siluit. Mane rursus apparuit, sed eodem auxilio statim discussus fuit. Cum diuturnior saeviorque esset vespertinus accessus, qui fere semper eadem hora incipiebat, curavi ut ante id tempus sinapismi applicarentur, atque ita pluries mihi licuit illius ortum cohibere. Caeteris vero diei horis singultus de more perstitit, singulisque vesperis quibus aut propter nimiam cutis laesionem, aut quacunque alia ex causa remedium negligebatur, vespertinus accessus consueta vi debacchabatur. Factum est saepennmero ut furente singultu rheumaticus tibiae dolor de more insurgeret, quo insurgente singultus illico sileret, cessante vero consuetum decursum resume-

ret. Hujusmodi metamorphoses interdum una nocte saepissime se alternis vicibus mutavere. Porro observatione dignissimum erat perspicere quantâ promptitudine ipsae intellectuales impressiones externaque irritantia abnormem motum cohiberent, atque hujusmodi casus revulsionis effectuum mirabile exemplum offerebat. Animalis oeconomiae suprema lex est impressionem praeponderantem in aliquam systematis nervosi partem, tamquam si ad illam totam vitalis efficientiae reactionem provocaret, impedire quominus in caeteras reactio ipsa distribuatur. Ita historiae medicae de homine vesano loquuntur, qui dum se crucifixit nullum dedit doloris indicium; pariterque ego vidi in Clinico Patavino Instituto theomaniacam, quae sub ictibus iisdemque vulneribus nullum se pati dolorem ostendebat. Neque existimanda erat mulier sensationibus inepta, vix enim sacram imaginem illi admovere statim religionis gestus verbaque fecit. Eadem ratione Gallus Sabatier in opere cui titulus: *Les lois de la révulsion étudiées sous le rapport physiologique et thérapeutique*,

plurima (1) refert exempla strenuorum irritantium, quae nullos in cutem produxerunt effectus, cum unum alterumve organon irritationis processu laborabat. Et omnes praxeos medicae libri abundant factis supremam hanc legem demonstrantibus, qua factitiis impressionibus irritationes morbosas tollere aut imminuere datum est. Si vero in casu sororis meae ad compescendum singultum et levissima impressio sufficiebat, hoc factum judico ex parva irritatione morbosum motum efficiente (qui imo etiam propter solam consuetudinem persistebat); sicut enim in historiae progressu apparebit, externae irritationes aucto interno fomite non illum amplius coercere poterant. Sed rubefacientium impressio etiam cum valida erat non nisi per tres quatuorve horas aegrotam a singultibus protegebat, quare elapso hoc tempore accessus renascebatur. Si temporariam sanationem temporaris revulsio producebat, ex permanente permanentem fieri posse judicavimus, ideoque vesicatorium ad

(1) Pag. 19-20

epigastrii regionem praescripsimus. Eventus spei respondit; post enim vesicatorii applicationem octo integris diebus neque unus singultus apparuit, et morbus ex toto profligatus censebatur. Sed nona die absque causa manifesta eodem more quam prius resaeviit. Experiri volui si adhuc sinapismi ad hypochondria eum coercere possent, quod illico non aliter ac in caeteris accessibus, evenit. Vesicatorium tunc inutile evasit, quoniam morbus de consueta via non divertebat, et solis sinapismis eum moderare concedebatur. Sed cur vesicatorium per octo dies singultum compescuit, nonaque beneficam amisit virtutem, etsi non minus solito exasperatus esset? Cur quod amplius efficere haec revulsio nequibat sinapismorum revulsio illico effecit? Ex observationibus constat solitarum impressionum effectum extenuari, eumdemque consuetum dolorem propriam aciem obtundere. Quid ergo mirum fibram octo praeteritis diebus a solita vesicatorii impressione minus fuisse excitatam, ac inde impressionem morbosam praevaluisse, quae, *ipsa* frustranea revulsione, singultum rege-

nuerit? Nonne parva opii dosis primis diebus spasmos idonee sedans diebus venientibus non nisi quantitate majore idem beneficium absolvit, et nonne saepe illius praeparationes mutare necesse est? Ita factum est in historia quam expono; sinapismi enim statim obtinuerunt quod ordinaria vesicatorii impressio obtinere non valebat, fibraque vero, mea sententia, non sinapismorum actionibus tam prompte assuevit, quia neque eorum applicatio erat continua, neque semper super eadem regione ponebantur. Sinapismi tamen morbum radicitus non tollebant, eisque totam curam confidere non congruum videbatur. Usum ideo glaciei internum experti sumus quae accessus pariter continuit, sed pervicacem singultum eradicare nequivit. Dum furente accessu aegra glaciei frustula in ore tenebat, omnino singultuosus motus cohibebatur; qui vero resurgebat, si per quinque sexve minuta hujusmodi remedium deserebatur. Itaque glacies eumdem effectum, minus tamen diuturnum quam rubefacientia producebat. Illius actio nimiam nervorum mobilitatem coercere videbatur,

quae vero cessata caloris disperditione iterum apparebat. Post hebdomadam per quam accessus nunc glacie nunc sinapismis mitigabantur, evenit mane quod neque isti neque altera effraenem accessum mulcere possent. Alvina dejectio, in qua duo lombricoides exivere, causam forte ostendit promptae acerbaeque mutationis. Judicavit praeclarissimus Magister meus, judicavi et ego vermes in tubo intestinali evolutos morbosam impressionem in nervos ad organa respirationis pertinentes (tam stricto foedere illis tubi gastro-enterici junctos) augere, propterque illius super sinapismorum impressionibus praedominium horum auxilium deficere; glaciem vero non valere ad moderandam ex vermium irritatione tam auctam nervorum mobilitatem. Eventus opiniones comprobavit; suppeditatis enim antelminthicis, novi lombricoides emissi sunt, et post eorum emissionem statim sinapismi glaciesque consuetum adjumentum attulere. In suspicionem non venimus vermes ex toto singultum producere, neque enim ulterior antelminthicorum usus profuit, neque nllum

verminationis phaenomenon existebat. Spasticas diaphragmatis contractiones ipsamque perturbatam nervorum oeconomiam functiones intestinales vitiasse, quo vitio vermes evolutos, uti in pueris post operationes chirurgicas evolvuntur, sane credidimus. Vermibus eliminatis, nulla singultus manifesta causa existente, ob morbosam nervorum consuetudinem persistere putavimus, quam sequi in ipsis physiologicis functionibus hujusmodi systema notum est. Nonne revera si edere aut dormire data hora consuevimus, ea constanter fame vel somno gravamur? Ut vero haec consuetudo evelleretur glacie et sinapismis unumquemque singultus accessum praevenire deliberatum fuit, atque ita alternis vicibus haec remedia adhibita sunt, ut per octo circiter dies omnino morbus sedatus fuerit. Tunc medicaminum usum nonnihil remisimus, ac tandem, cum firmissima nobis visa est valetudo, omnino ea deseruimus. Assam foetidam ferrique carbonatem ad corroborandam constitutionem atque imminuendam nervorum mobilitatem deinde praescripsimus, sororque mea ab illo

tempore usque ad praesens non amplius hujusmodi morbo laboravit, etsi aestate praeterlapsa *grippe*, qui Venetiis epidemice grassatus est, eam graviter afflixerit.

In enarrata historia sequentes circumstantiae conspicuae fuere:

1. Nulla causa nota idiopathici singultus, qui *a priori* et etiam *a posteriori*, ob therapiam quae sanitatem reddidit, visus est persistere ex mera consuetudine systematis nervosi.

2. Celeritas, qua intellectuales impressiones, dolores, revellentiaque ad cutem applicata abnormem motum fraenabant. Tam prompta revellentium actio probabiliter a parva irritatione singultum retinente nascebatur.

3. Nulla revellentium efficacia dum interna irritatio ex fortuita vermium evolutione augebatur.

4. Vesicatorii ad epigastrium impressio, quae singultum per octo dies fraenavit, ac dein cum fibra illi assueverit, neque temporarium sinapismorum emolumentum afferre valuit.

5. Glaciei vires, quae per minus temporis spatium quam sinapismi singultus accessum compescebant. Durante vermium irritatione neque ex glacie ordinarium auxilium percipiebatur.

6. Benefici tandem externorum irritantium et glaciei effectus, quorum continua admotio, cum per octo dies singultum omnino cohibuerit, morbosam nervorum consuetudinem extinxit, et aegram ad pristinam sanitatem restituit.

THESES

I.

Cortex peruvianus, ejusque praeparationes, non tantum propter tonicam qua pollent facultatem, quantum specificam propter actionem periodicae formae morbos discutiunt.

II.

Non quoties turgida vasa in cadaverum dissectionibus reperiuntur, toties de praegressa phlogosi arguere licet.

III.

Experimenta in vivos animantes, ipsaeque pathologicae observationes summopere physiologiae progressus adjuvarunt.

IV.

Quo mollior corporis textura, eo sub inimicarum actionum efficientia ad resolutionem pronior est.

V.

Sanguinis cotenna non constans inflammationum indicium judicanda.

VI.

Ad explicandam celeritatem, qua nonnullae substantiae ingestae per urinas excernuntur, notae circulationis viae sufficiunt, neque canales a tubo gastro-enterico ad apparatum uro-pojeticum directos animo effingere decet.

VII.

Leges omnes corporis animalis cum sani tum aegrotantis plurimas subeunt exceptiones, adeo enim individuorum praedispositiones discrepant, ut eadem causa crebro effectus maxime diversos producat.

VIII.

In ipsis morbis organicis non omnia morborum phaenomena materiali laesioni in cadaveris dissectione detectae tribui possunt. Eaedem laesiones interdum in alteris cadaveribus reperiuntur, praeterquam quod durante vita eadem phaenomena aut alia quaecunque morbosa animadversa essent.

IX.

In curandis hominum morbis salubres naturae nisus magni facere oportet.

X.

Si in morborum processu quidam medici nunquam crises se animadvertere ac dignoscere affirmant, hoc profecto ex eorum tumultuaria curatione oritur, quâ morbi cursus perturbatur, visque vitalis reactiones plane compescuntur.

XI.

Ad componendas chronicas aegrotationes fere semper non unum, sed plura elementa morbosa concurrunt.

XII.

Ergo in eorum curatione neutiquam una esse potest indicatio; quodvis enim elementum peculiarem ac propriam indicationem exhibet.
